




Academia Aboensis h.t. rector
m. David Lund, ling. sacrar.
prof. ord. Liter...

Lund, David,

82 Aa 16/3



National Library
of Sweden

ACADEMIÆ ABOENSIS h. t. RECTOR
M. DAVID     / Lingv. Sacrar. Prof. Ord.

LITERARUM PATRONIS BENIGNIS, ET ÆSTIMATORIBUS SINCERIS, PATRIBUS CIVIBUS QVE ACADEMICIS,

S. P. D.



Amplissimæ est significationis effatum, quod expressit Spiritus DEI per Regem Psalten in hymno וְזָרַח מִחֶשֶׁךְ אֱלֹהִים לְיִשְׂרָאֵל, Ortum est ex tenebris lumen rectis. Felicitatem illorum hic inculcari palàm est, qui, ut וְיִשְׂרָאֵל appellentur & sint, pietate in DEUM & studiis pronis in proximum, studiis de consecruntur. Hi ipsi qui & צְדִיקִים & יִשְׂרָאֵל בְּתוֹכָם vocitantur, variis iisque duris, plerumque premi solent calamitatibus, unde, ne submergerentur planè aduersitatum fluctibus, auxiliatricibus DEI manibus necessum habent subleuari. Involvunt vero ipsos tenebræ spissæ, æaque non unius generis. Quibusdam אֲפַרְתִּי & חֶשֶׁךְ, hoc est morbos, infortunia & anxietatem immittit DEUS: Alios exponit חֶמָה sive furori Hamanis, qui exitialem caliginem certo videtur accelerare: Nonnullos inducit in חֶשֶׁךְ persecutionum, captivitatibus, hostilium afflictionum & omnium miseriarum, uti dolet, hujus intuitu mali, Gentis suæ vicem in threnis Jeremias. Ex tot tantisque malis eruit Dominus כִּי לֹא יִכָּבֵד, illos, apud quos non dominatur libido, sed ubique in animo, in dictis factisque elucent innocentia & integritas. Ast quemadmodum immensa veluti malorum mole obruantur, ita offusa hæc caligo, multiplici luce est dissipanda. Luculento adeo, benigno & amæno splendore suos collustrat cultores divina bonitas, cujus copiam Psalmographus planissimè sistit, vocem ἐμφατικωτάτην וְזָרַח adhibendo, quâ incrementum lucis multum, hujus manifestationem, & dilatationem mirificam innuit, quod magis magisque diffusa, & in modum sementis dispersa, nullis terminis possit coerceri. Tam uberem salutaris lucis proventum, qui omnes omnium ærumnarum tenebras dispellit, jucunda serie exponit Sanctus Spiritus in cap. 8. Estheræ, cum post Hamanis averfam tyrannidem, Judæis ortam dicit וְזָרַח cum שִׁמְחָה, cum שִׂשׂוֹן, cum וְיָקָר, lucem deprædicans feracem lætitiæ magnæ, exultationis effusæ, & gloriæ ingentis. Ast complementum ineffabile salutis ex luce orituræ, describit Jesaias, cum ipsum וְזָרַח, in æterna vita futurum sanctis אֱלֹהִים pronunciat. Promittit adeo iis, qui ingenuo animo cultui divino sunt addicti, & hoc officium devoto ac constanti conatu exsequuntur, dum hic paulisper gemunt sub jugo mortalitatis & miseræ, tandem liberationem ab omnibus malis, & æternas divinæ consolationis ac gratiæ divitias. Et quamvis ita sacro hoc oraculo, ipse triumphus pingatur, quem agent ex hostibus suis omnibus, qui fide verâ & sanctimoniâ vitæ probant, DEI non mundi se esse filios; non tamen malè eo etiam accomodari sentiendum, nempe quod & tum lux illis ex tenebris oritur, quando post beatam ex hac vita emigrationem, ipsam triumphant mortem, & per immortalia sua merita, æternam sui memoriam, ad feram eamque gratam propagant posteritatem. Sic est. Etenim cum lethi immanitas Mortalibus noctem, si non perpetuam, longam tamen, in חֶשֶׁךְ חֶשֶׁךְ חֶשֶׁךְ, in אֲפַרְתִּי חֶשֶׁךְ hoc est, secundum mentem Jobi, in sepulchro, ubi in silentio altissimo, nullus erit oculorum usus, utpote in loco tenebricosissimo, unde non nisi divina virtute quisquam potest remeare: Lux sane erit censenda & quidem amplissima, quæ lethali circumfusos umbrâ, vindicat ab oblivione. Atque ut bonis omnibus, illis cum primis qui multam lucem Ecclesiæ & Reipublicæ, doctrina & institutionibus dexteris fœnerati sunt, constare, debet post fata, famæ gloria superstes; ita suo quodam jure à nobis repetit, Quem, intercludentibus spiritum singultibus, ob doloris ex propinquitate vehementiam, vix nomino, Vir dum viveret Summè Reverendus & Excellentissimus DN. JACOBUS FLACHSENIUS, S. S. Theologiæ Doctor ejusdemque Prof. Primarius in Regia hac Acad. Celeberrimus & Meritissimus, ut quemadmodum jam exortam sibi inter Cœlites innociduum lucem beatus contueretur, memoriam quoque suam & meritas laudes in his terris, quantum in nobis est, constituamus perennes. In præsentia, quamvis infelici & rigente ex luctu calamo id fiat, commune hoc ac debitum officium, originis honestæ rationem, tum propriæ virtutis & meritorum exempla strictim memorando, exsequar, vel hoc modo lucem ex tenebris τῷ μακαριστῷ producturus. Editum ipsum Parentibus integritate & honestate inclytis, exceptit paræcia non ignobilis Wehmo/ anno 1633 seculi currentis. Genitorem coluit HENRICUM HENR. W. Goth. Virum quondam ob antiquam virtutem & fidem, Magnatibus & bonis quibusvis commendatissimum; Matrem vero MARGARETAM Jacobi Filiam. Atque ut solent stimuli & incitamenta virtutum à majoribus, quando amplitudine facinorum & famæ inclaruerunt, ad nepotes transmitti; ita habuit in linea præcipue materna Beatus noster, quibus acceptum referret post DEUM, quod erectæ non tantum, sed & eximie indolis adminiculis fuerit exornatus. In his Avi materni, tum Proavi, Virorum experientia multa & officiorum dignitate celeberrimus, hausit animi dexteritatem & constantiam. Puellus traditus disciplinis, eorum curâ & auctoritate, qui & vitæ auctores exstitere, insiti vigoris statim documenta designavit certissima. Contra morem ætatis teneræ, non tantum alacriter & promptè institutiones exceptit Præceptorum, sed & constanter iis imbui desideravit. Ne deferveret is tam gratus in filio Parentibus ardor, prudenti consilio utendum animo isto dum caleret, censuerunt. Itaque literis hæctenus elementariis imbutum, in Scholam deducunt Cathedralem Aboensium, ubi Ludi Moderatoris dexterrimi DN. M. Samuelis Hartmanni, postea Eloquentiæ Professoris in Academia patria celebris, fidei & informationi commissus, per integrum hæsit novennium, ad annum ætatis 17, qui in 1650 seculi hujus incidit. Quia annis plusculis artes hæc didicit instrumentales aliaque, quæ ad humanitatem faciunt, paratior sublimiora studia aggressus, cum Societati Academicæ, in Universitate Aboensi, dicto anno est adscriptus, intra breve tempus ita profecit, ut ulro sibi à Patribus Academicis laurea in Philosophia offerretur. Hanc nactus anno 1656, eâ, veluti pignore indubitato se devinctum credidit, qui pertinaciter, quod ingressus erat occupationis stadium, decurreret. Nec segnius quod constituit, effecit. Nunc aperire ipse in Philosophicis Scholas, nunc expetere ut aperirentur sibi à Theologis Doctoribus, perrexit. Hæc Aboæ quidem, Celeberrimos in hac Facultate Professores & Doctores, Georgium Alanum, Nycopensem, aliosque auscultavit sedulo. Ubsaliæ cum primis commilitio assuetus erat Theologorum famigeratissimorum, Doctoris Terferi, nec non Doct. Edenii, quorum disciplinis cum præcipue innutriti voluit, aliorum nequaquam neglexit. Ex celebri isto loco redux, studiis pronis veterum Præceptorum apud nos est exceptus, qui etiam accesserunt illi auctores, ut publicis experimentis, suos in Theologia profectus studiosæ juventuri commendaret, oblatis ipsi in ea Facultate Præsidis partibus, quibus etiam cum suo honore, & illorum applausu, ritè est defunctus. Verum cum nec sibi solum natus erat, nec solerter adeo vitam instituendo, ignotus esse quibat; studiis etiam Nobilium Juvenum profapiæ eximie, est præpositus. Sed & publicæ rei juvandæ jam maturus æstimatus, Philosophicæ Facultati adjungitur, ut in illa docendi licentia gauderet. Nec multo post Academia Secretarius est constitutus, quam spartam una cum Adjuncti, septennium, pari & fide & solertia, hoc est laudabiliter, exornavit. Imminebat paulatim gravioribus muniis, quibus fata illum dudum destinarent. Anno 1665 Nutu ac Clementia Regiæ Majestatis, Logices & Metaphysicæ Professio ei demandabatur. Adeo jam cunctis integritate vitæ & nominis famâ innotuit, ut nec publico muneri præfectus, privatis informationibus potuerit subtrahere operam suam. Illustrissimi enim Senatoris Regii, & Generalis Magni Ducatus Finlandiæ Gubernatoris, Dn. Hermannii Flemming victus compellationibus, Dominorum Filiorum ejus suscepti institutionem, eo cum successu, ut majorem natu, paucis interpositis annis, Dominum Claudium Flemming viderit ac præsens veneratus sit Consiliarium Regium. Interea dum exquisitis modis commissas sibi subtiles Philosophiæ partes, multo cum discipulorum emolumento enucleat, atque fluunt quatuordecim anni, in Theologicam Cathedram evehitur, vocatis aliò, vel abreptis per vicissitudines temporum Antecessoribus, donec per tres gradus conscendit ad Primariam in Theologia Professionem, Pastoris officium, Ecclesiarum annexarum curam, tum Vice-Præsidis in Consistorio Ecclesiastico, & Archi-Præpositi in Diocesi dignitatem. Atque unâ, anno 1689 ad mandatum Regis Invictissimi & Clementissimi, Doctoris insignia excepit, quem honorem huc usque per modestiam distulit. Vitæ cœlibis intuitus incommoda, Matrimonio sibi junxit, anno 1668, Virginem sui ordinis & sexus præcipuum decus SUSANNAM MEJSNER/ Filiam Dn. Johannis Meisner/ Civis & Mercatoris Holmenis inclyti, à qua, cum per 26 & paulo amplius annos in conjugiali amore sincero cohabitassent, undecim liberorum parens factus est, Filiorum trium & Filiarum octo, adhuc superstitem, filio uno & filiabus duabus exceptis. In pluribus splendidis iisque arduis muneribus, quæ Viri fuerit gravissimi & cordati maximè, fides, vigiliæ, indefessus labor & successus, suggestus, pulpita, scripta, & edita dogmata loquuntur prolixè. Illis sane & animi & corporis dotibus eluxit, quæ ut in vitâ fuit acceptissimus omnibus, ita post obitum desideratissimus. Vocat nos beatus ejus excessus. Superiore ætate febris epidemia illum invasit, lectoque affixit per menses aliquot. Cumque ob pertinaces muneris sacri curas, quas nec ægrotus deponere voluit, bona fide, langvore suo non poterat liberari; labente Januario, conjurato veluti morborum manipulo corripiebatur. Ad febriles ardores accessit ἀνορεξία perpetua, exque defectu humidi benigni impedita deglutitio. Angustabat etiam cor miserè catarrhus suffocativus, qui simul robur corporis omne prosternebat. Nisus quoque immodicus egerendi, rupturam effecit vasis magni in Pulmonibus, unde orta est cruenta exscretio. Fatalem horam, licet non subitam sui verebatur imminere omnes. Ipse etiam venerabilis Senex, meditationibus mortis se distineri, piis sæpius suspiriis atque loquutionibus, in lectulo decumbens significavit. Triduo ante discessum, constituit ἐφοδῖον εὐθανασίας & ἀθανασίας, sequente die Dominica, quæ fuit Esto mihi, communiri. Cumque eo, statuta die & hora esset refectus, paulo post, 18 Febr. sine metu & sensu mortis placide, errantem lupremis labiis animam expiravit, cum vivendo 60 annos 7 menses & quinq; dies explevisset, ex quibus 36 publicis officiis, 29 variarum professionum curis, 15 Theologicis institutionibus impenderat, cum semel, iterum atque tertium fuisset Rector Magn. Decanus Facult. Theologicæ sæpius, ordinis Philosophici bis. Pauca signamus. Scribitur nimiru Intimationem non justum panegyricum sermonem. Nec capit hæc pagina encomia demortui Doctoris; nec fert acutus noster dolor, prolixitatem. Aderit Encomiastes disertissimus, Vir admodum Reverendus & Excellentissimus, DN. ANDREAS WANOSCHIUS, S. S. Th. Prof. Ord. Celeberrimus, qui postridie exsequiarum, hoc est luce crastinâ hora 8. matutinâ, in Auditorio maximo, funeri parentabit Senis & Doctoris Desideratissimi. Itaque Hospites suis honorum titulis compellendos, literarum Patronos & Antistites magnos & benignos, in his Reverendissimum & Eminentissimum Academiae Pro-Cancellarium, nec non Patres Academicos, tum Cives ejusdem rogamus officiosè & amicè, velint loco & horâ dictis, in honorem demortui & solatium superstitem, benevolè ac frequenter adesse; hodie vero in antecessum horâ 2. pomeridianâ comiter & prolixè ire exsequias Doctori nostro, Pastori animarum, Seni longe meritissimo, audituri adhæc, pietate & veneratione quâ par est, concionem funebrem. P. P. ipsis Calendis Maji Anno recuperatæ salutis 1694.

ACADEMIA REGIA SUECICA
M. O. A. V. I. D. S. E. C. R. E. T. O. R. I. U. M.
L. I. B. R. A. R. I. U. M. S. U. E. C. I. C. U. M.



[The text on this page is extremely faint and largely illegible due to the paper's age and damage. It appears to be a formal document or a list of names.]

Handwritten note or stamp in the bottom right corner, possibly containing a date or reference number.

1694 maj